

NUMMICASTRENSES

FERDINANDI ROMANORUM RE-

gis: & Mauritij Ducis Saxoniae: Cusi durante
bello Smalcaldico. Anno Christi

1546.



ERDINANDUS Romanorum Rex, cum Fiefsâ & Erenbergo à Schertlino captis, Oenipontem in magno periculo versari cognovisset, repentè magnam manum subditorum ex agro Tirolensi contrahit. qui ductore Francisco Castelalto Tridenti præfecto oppidum defendunt, simulque vias & aditus occupant. Idem postea ex Boëmia, Pannonia atque Silesia militem evocat, eidemque Sebastianum Weittenmullum ducem præficit. Dederat ve-

ro jam antè Cæsar in mandatis Mauritio Saxoni, ut jure agnationis Provinciam Johannis Friderici Septemviri sibi vendicaret, idque nisi faceret, minatus est, se alij potestatem occupandi esse daturum. Mauritius verò, quanquam Cæsaris mandato parere in animo habebat, properare tamen noluit, usque dum Ferdinandus per Hungaros & Boëmos præsidium, quod in Sudetis montibus septemvir collocarat, fudisset, & agrum septem-